

rum, etc. Ac denique hæc retributio expresse vocatur remuneratio, ad Hebr. 10: *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem*; non habet autem locum remuneratio, nisi ubi meritum intercedit.

8. *Citati loci intelliguntur de vero et proprio merito absque metaphora.* — Ex quibus locis inter se collatis, et eorum multitudine, evidenter colligitur has locutiones Scripturæ non esse metaphoricæ, sed de vero ac proprio merito esse intelligendas, quia et generalis ac vera ratio interpretandi Scripturam hoc postulat, cum nulla sit necessitas vel auctoritas quæ permittat, nedum cogat, ad metaphoras confugere in tam multa et clara luce testimoniorum, et materia ipsa, quæ moralis est, et ad convenientem Dei providentiam, et ad excitandos homines ad bene operandum pertinet, proprium et simplicem sermonem requirit. Et ideo merito Ecclesia semper in hoc sensu Scripturam intellexit, ut ex traditione Patrum late probant moderni locis supra citatis, præsertim Bellarminus c. 4; Valent., disp. 8, quæst. 6, punct. 2; et traditur ac definitur a Conciliis: Arausiano, can. 18, dicente: *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Idem tradit Concilium Lateranense in cap. *Firmiter*, de Summa Trinit., et Florentinum, in litteris unionis, et expressius ac latius Tridentinum, sess. 6, c. 16, et can. 33, ubi specialiter notanda sunt illa verba, in quibus dicitur nihil deesse operibus justorum, quæ in Deo sunt facta, quominus vitam æternam *vere promeruisse* censeantur.

9. *Quarto, accedit ratio.* — Ratio hujus veritatis maxime pendet ex his quæ de conditionibus ad proprium meritum requisitis dicturi sumus. Et ex dicendis in assertione sequenti hæc probabitur. Nunc solum possumus congruentiam reddere, quia bona opera humana, sicut ex natura sua sunt digna laude, ita etiam habent tanquam proprietatem connaturalem, quod meritoria sint, id est, ut aliqua retributio eis debeatur ab eo, in cujus commodum vel honorem ordinantur; ergo hoc maxime convenit operibus gratiæ, quæ superioris rationis bonitatem habent. Aliunde vero etiam ex parte Dei maxime congruum est, ut hujusmodi opera ad aliquod præmium ordinaverit; tum quia alia opera in ipsius obsequium maxime fiunt, et in ejus gloriam redundant; tum etiam

quia hoc fuit maxime necessarium in omni republica bene gubernata, ut membra ejus spe præmii ad bene operandum alliciantur; Deus autem est supremus hominum gubernator, et ejus providentia est perfectissima, et maxime in ordine ad finem supernaturalem; ergo maxime decuit ut etiam in illo ordine hominibus proposita essent præmia, quæ mereri possunt; tum denique quia Deus præordinavit supplicia quæ malis meritis responderent; ergo etiam habere debuit rationem bonorum meritorum, quibus præmia præpararet.

10. *Assertio secunda, affirmativa de merito de condigno ac certa Theologica.* — Secundo, dicendum est posse homines mereri apud Deum, absolute loquendo, de condigno et secundum aliquam justitiæ æquitatem. Hæc assertio non est de fide, quia sub his terminis non est definita; est tamen omnino vera, et valde consentanea principiis fidei et testimoniis supra allegatis, ideoque conclusio est Theologica satis certa, quam communiter approbant Theologi: D. Thomas, et Cajetanus in d. art. 1, quorum mentem infra latius explicabimus, et ita etiam opinantur ibi Medina et alii moderni expositores; et Valent., disp. 8, quæst. 6, punct. 1 et 2; Altisiodorens., lib. 3 Summæ, tract. 16, quæst. 2; Alens., 3 p. quæst. 16, membr. 5, præsertim art. 2; Bonaventura in 2, dist. 27, art. 2, quæst. 3; et ibi Gabriel, q. 1, art. 2, concl. 1 et 3; et ibidem Richardus, art. 2, quæst. 3, junctis quæ docet in 4, dist. 46, art. 1, quæst. 1; et Scotus in 1, d. 17, q. 2, § *Ad solutionem hujus questionis*; Marsil., q. illa 18, art. 4, conc. 2; Soto, lib. 3 de Natur. et grat., cap. 7; Franciscus Romeus, lib. de Necessit. operum, verit. 22; Bellarminus et Vega supra quæst. 5, et alii etiam supra allegati.

11. *Probatum ex sacra pagina.* — Probari potest primo ex locis Scripturæ superius citatis, præsertim ex illis verbis ad Romanos, quarto: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Unde ipsum nomen mercedis aliquam rationem justitiæ et condignitatis postulat. Quam etiam indicant verba retribuendi, vel reddendi secundum opera. Item hoc confirmat ipsa forma judicii, in quo unusquisque refert propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum; ergo tam in retributione honorum quam in supplicio malorum servatur æquitas proportionis et condignitatis ope-

rum, et stipendii eorum; ergo sicut in malis operibus servatur condignitas, juxta illud Apocalyp. 18: *Quantum glorificavit se in deliciis, tantum date ei tormentorum*, ita etiam in præmio bonorum, æquitas proportionis et condignitatis ad merita observatur. Ideoque Paulus, 1 ad Timoth. 4, dicit Deum, ut *justum judicem*, bonis esse redditurum præmium, et ipsum præmium vocat coronam justitiæ, et ad Hebr. sexto ait: *Non est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri.* Et hoc etiam confirmat nomen mercedis et stipendii; nam in illo proportio ad laborem observatur, et si quid liberalius datur, non censetur sub mercede vel stipendio comprehendere. Unde ad hoc etiam induci potest parabola operariorum in vinea, ubi paterfamilias dispensatori suo dixit: *Voca operarios, et da illis mercedem*, et postea uni ex operariis, qui conquirebantur, dixit: *Nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est, et vade*, de qua parabola plura in sequentibus. Denique interdum Scriptura utitur nomine dignitatis ad meritum justorum declarandum, ut Sapient. 3: *Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se*, et Paulus, ad Coloss. 1: *Non cessamus (ait) pro vobis orantes, etc., ut ambuletis digne, Deo per omnia placentes.* Et infra: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, etc., et 2 ad Thessal. 1: In omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justis judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini; et addit: Si tamen (pro siquidem, ut recte ait Cajetanus, imo ut alia littera habet, teste D. Thoma) justum est apud Deum retribuere tribulationem his qui vos tribulant, et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum.* In utroque ergo æquitas justitiæ, ac proinde proportio et condignitas observatur. Denique Apocalyp. 3 de sanctis dicitur: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*: quæ dignitas ex operibus consideratur, ut inferius cap. 16 indicatur et ibidem ratio æquitatis justis judicii Dei ex illa redditur.

12. *Eidem facit multum Tridentinum.* — Præterea, quamvis Concilium Tridentinum veritatem hanc non definiat, nec verbis digni vel condigni utatur, tamen non parum favet huic sententiæ in dicto canon. 32, utens illis verbis, *vere mereri gratiæ augmentum, etc.* Non enim sine causa addidit illam particulam *vere*, sed ut significaret hoc meritum plus esse quam cujusdam congruitatis, et

ideo dixit esse augmenti gratiæ, ut tacite excluderet simile meritum respectu primæ gratiæ, quamvis in illa locum habeat meritum de congruo, ut infra dicemus. Et simili modo in canon. 26 definit debere justos pro pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, æternam retributionem a Deo sperare; et in capit. 16 in confirmationem hujus veritatis, adducit testimonia Scripturæ supra allegata, et præsertim illa quæ hanc indicant esse justitiæ retributionem. In eodem ergo sensu se loqui indicat.

13. *Facient et Patres.* — Et simili modo favet Augustinus dicta epist. 105 scribens, sicut dixit Paulus: *Stipendium peccati mors*, ita etiam vere dicere potuisset: *Stipendium justitiæ vita æterna*, quia, sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna; et infra declarat, *recte stipendium dici, quia debetur, quia digne retribuitur, quia merito redditur.* Et quamvis in his verbis loquatur de stipendio peccati, tamen jam dixerat, in re idem esse verum de stipendio boni meriti. Additque Paulum noluisse ita simpliciter loqui de stipendio vitæ æternæ sicut de stipendio peccati, ne homines superbi occasionem sumerent ita sibi attribuendi meritum vitæ æternæ, sicut demeritum pœnæ, et ideo vitam æternam potius gratiam appellatione. Unde ipse ait: *Cui debetur vita æterna, vera justitia est; si autem vera justitia est, ex te non est.* Et iterum infra: *Vita æterna justitiæ quidem stipendium, sed tibi gratia est, cui gratia est et ipsa justitia.* Similia habet in Enchir., cap. 17, et in lib. de Grat. et lib. arbitr., cap. 7, 8 et 9, ubi eodem modo exponit illud Psalm. 102: *Qui coronat te in miseratione et misericordia, scilicet, quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona reddetur.* Similia habet tractatu 3 in Joann., tractans verba Pauli: *De corona justitiæ quam reddet justus judex*; nam, *ut susciperet (inquit) gratiam, misericordem Patrem opus habebat; ut præmium gratiæ, judicem justum.* Et similia habet in lib. de Perfection. justit., et sæpe alias. Et cum Cyprianus epistola 25, ad quosdam confessores scripsisset, eos laudans, et ad confessionem fidei, per quam eos Dominus ad coronam parabat, exhortatus esset in epist. 26, sic ipsi respondent: *Reddet tibi Dominus pro ipsa tua charitate mercedem, et hujus tam boni operis representabit debitam frugem, non minus enim coronæ mercede condignus est qui hortatus,*

quam qui et passus est. Et Hieronymus, in cap. 49 Isai., de Deo dicit: *Potentiam suam nostro arbitrio dereliquit, ut juste voluntas præmium consequatur.* Et eodem modo loquitur Hilarius in Psal. 114, et Ambrosius serm. 3 et 14 in Psalm. 118, et alia referuntur a Bellarmino et aliis modernis auctoribus supra allegatis.

14. *Accedit tandem ratio.* — Ultimo possumus rationem addere, quia gratia facit homines dignos vita æterna; ergo opera quæ ex illa procedunt, ratione illius, seu ex virtute illius, sunt merita digna vitæ æternæ. Antecedens notum est ex supra dictis de natura gratiæ, nam est tam singularis participatio naturæ divinæ, ut ei sint connaturales participationes illorum actuum, quibus Deus beatus efficitur, qui sunt visio et amor sui, in quorum participatione vita æterna consistit, et ideo verissime dicitur gratia facere hominem dignum vita æterna, tanquam perfectione et beatitudine sibi connaturali, sicut homo, ex vi rationalis animæ, dignus est intellectuali cognitione, et maxime Dei. Consequentia vero probatur, quia, sicut gratia habet proportionem cum vita æterna tanquam cum ultimo fine, ita opera gratiæ habent proportionem et condignitatem cum eodem fine, tanquam media illi maxime proportionata, et consequenter ut merita ejus condigna. Nam, suppositis aliis conditionibus ad meritum necessariis, nulla major proportio ad condignitatem meritorum considerari potest, ut in solutionibus argumentorum magis declarabitur. Et hac ratione dicitur gratia fons aquæ salientis in vitam æternam, utique natura sua, et per opera sua. Et eadem ratione dicitur semen gloriæ; nam, licet hæc attributio ex parte metaphorica sit, ut Durandus respondet, nihilominus in eo unde metaphora sumpta est sufficiens proprietas invenitur; nam, sicut semen natura sua habet connaturalem proportionem cum vivente, ita et gratia cum gloria, ad quam per opera sua hominem perducit. Et confirmatur ex alia proportione, quia naturale est homini ut per bona opera beatitudinem consequatur, et ideo homo, etiam in sua pura natura spectatus, sicut haberet aliquam beatitudinem suæ naturæ proportionatam, ita per bona opera moralia illam consequeretur, taliaque opera merito dici possent tali præmio digna, et illi proportionata. Non minorem autem proportionem et condignitatem habet gratia respectu gloriæ, quam habeat

natura respectu beatitudinis naturalis; sunt ergo opera gratiæ sufficientia ad condignum meritum gloriæ, si aliæ conditiones necessariæ concurrant.

15. *Ad fundamentum hæreticorum in num. 2.* — *Ad secundum.* — Superest ut ad contraria fundamenta respondeamus. Omisso autem primo fundamento hæreticorum, fundato in errore, quod in justis non sint bona opera, quod et per se falsum et incredibile est, et satis in superioribus impugnatum, hoc (inquam) omisso fundamento, ad secundum, sumptum ex illo principio, quod justificatio non est ex operibus, respondetur, principium illud duobus modis posse intelligi. Primo, ut opera quasi per antonomasiam dicantur illa, quæ homo viribus suis sine gratia facit; et sic verum est illud: *Non ex operibus ne quis gloriatur*, utique, de suis viribus se extollendo, et apud homines gloriam quærendo. Quo sensu dixit etiam de Abraham Paulus: *Si ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Et in eodem sensu loquitur Augustinus in locis ibi allegatis, et in aliis similibus, in quibus humana merita excludere videtur; agit enim de illis quæ gratiam omnino antecedere putantur, ut ipse explicuit in aliis locis allegatis ex epistola 103 de Grat. et lib. arbitr., cap. 6, et sequentibus, et aliis locis infra referendis. Alio modo vox illa, *ex operibus*, intelligi potest de operibus etiam ex gratia factis, et in hac significatione, cum dicitur justificatio non esse ex operibus, si particula *ex* dicat habitudinem seu causalitatem proprii meriti de condigno, tunc sermo est de prima justificatione, quæ non est ex tali merito, ut infra dicemus. An vero excludat etiam meritum de congruo, infra etiam disputabitur. Quod vero non excludat dispositionem seu præparationem voluntatis per opera gratiæ, in libro octavo, capite decimo septimo, dictum est. Denique probabile est interdum Paulum per illum modum loquendi excludere opera legis veteris, quocumque modo facta, tanquam necessaria ad justitiam, et de illis sine dubio loquitur in citato loco ad Galat. tertio, ubi contra illo tempore judaizantes agebat, qui opera legis ad justitiam requirebant; et de illis ait: *Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Frustra ergo et inepte inducuntur illa verba contra meritorum assercionem. Et quanquam permittatur accomodatō, ut sub maledicto esse dicantur om-

nes qui de suis meritis confidunt, intelligendum esset, juxta primam declarationem, de iis qui de merito operum, quæ suis solis viribus sine gratia faciunt, gloriantur; non vero de iis qui de divino auxilio principaliter confidunt; nam per illud et legi satisfacere et digne mereri apud Deum possumus.

16. *Ad tertium, ex Bellarmino.* — Ad tertium fundamentum, recte dicit Bellarminus, lib. 5 de Justification., cap. 5, in fine. quanto ab hæreticis magis rhetorice seu tragice amplificatur, tanto inanius inveniri. Tantum enim abest ut ex merito nostro meritum Christi obscuratur, ut potius extollatur et amplificetur magis. Quia non solum potuit per se mereri, sed etiam suis meritis nobis virtutem ad merendum obtinere. Sicut quod causæ naturales possint aliquid efficere, non derogat infinitæ potentiæ et efficientiæ Dei, sed potius illius virtutem ostendit; quia non solum virtutem efficiendi habet, sed etiam potest alios efficientes efficere, servata sibi nihilominus semper propria excellentia primæ, et universalis, ac independentis causæ. Ita ergo nostrum meritum ostendit quidem efficaciam meriti Christi, ejus vero excellentiam nullo modo minuit, quia semper est veluti prima causa in genere meriti, et unica in excellentia infiniti meriti, et de rigore justitiæ, et universalis in sua causalitate, quia ab ipsius merito omnia aliorum merita pendunt, et in omnibus meritis ipse Christus actu influit per meritum suum, ut infra videbimus. Et hoc est quod ipse dixit Joan. 15: *Ego sum vitis, vos palmites; et: Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, ita et vos, nisi in me manseritis; et qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum,* et similia; ac propterea per nostra merita non dividimus gloriam inter nos et Christum, quia tota gloria meritorum nostrorum in ipsum redundat. Sicut beatitudo ejus non minuitur ex eo, quod nos illius participes inferiori modo efficiat.

17. *Ad tertium argumentum Catholicorum in num. 3.* — Ad fundamenta Catholicorum respondetur, et imprimis ad illud Rom. 8: *Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam,* respondetur Paulum loqui de operibus hujus vitæ, et præsertim de passionibus externis secundum se consideratis; nam ut sic non habent condignitatem cum præmio gloriæ; habent autem illam, quatenus cum gratia conjuncta sunt,

et ab illa dignitatem et valorem accipiunt. Hoc est enim quod prius dixerat: *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei;* et infra: *Si autem filii et hæredes, hæredes Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur (utique ut consortes et fratres ejus per gratiam), ut et conglorificemur;* et tunc adjungit: *Existimo enim, quod non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis;* nimirum, nisi spiritu Dei moti tanquam Filii Dei illas toleremus. Quod autem passionibus illæ in se spectatæ non habeant illam condignitatem, explicatur a Paulo in alio citato loco 2 ad Cor. 4, quia passionibus sunt leves et momentaneæ, pondus autem gloriæ magnum est et æternum. Ita fere respondent Durandus, art. 11; et Bellarminus, lib. 5 de Justificat., cap. 3, in 6 argum.; et Romeus supra, dicta verit. 22; estque optima responsio.

18. *Ad secundum ibid.* — Neque contra illam obstat secundum fundamentum Durandi, quia major ab illo assumpta falsa est, nam opera nostra ex virtute gratiæ habent condignitatem proportionis ad gloriam, ut jam declaravimus. Et ad primam impugnationem respondeo, licet Spiritus Sanctus sit extrinsecus motor, nihilominus, cum in justis per gratiam habitat, illos reddere intrinsece proportionatos et dignos gloriæ, et consequenter dare illis intrinsecam dignitatem et virtutem, per quam faciant opera tali præmio digna. Unde non accipiunt merita hanc condignitatem ab Spiritu Sancto, tanquam a forma, ut sic dicam, vel immediato motore, sed a gratia, et tanquam a forma, et tanquam ab interno principio, a quo habent actus interni, in quibus est proprium meritum, substantiam et perfectionem proportionatam gloriæ. Et ideo non est simile de actu peccatoris ex motione Spiritus Sancti facto, quia non est a Spiritu Sancto, ut inhabitante, et ideo saltem illi deest dignitas gratiæ. Altera vero impugnatō Durandi in superioribus soluta est, ubi explicuimus metaphoram, qua gratia dicitur semen gloriæ, et quanto deserviat ad propriam condignitatem meritorum probandam declaravimus. Augustinus vero, in Præfat. ad Psalmum 102, et in Enarrat. Psal. 125, non solum gratiam ipsam, sed etiam opera quæ ab ea procedunt, semina vitæ æternæ vocavit, de illis optime intelligens verba illa: *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent, etc.,* et illa Pauli, 2 ad Corinth. 9: *Qui parce seminant, parce et metent;* et ad Galat. 6: *Quæ semi-*

naverit homo, hæc et metet, et infra: *De spiritu metet vitam æternam*; nam, sicut semen virtute continet arborem vel fructum, ita opera gratiæ virtute continent gloriam ad quam tendunt, et ideo dicuntur habere dignitatem proportionis cum illa.

19. *Ad tertium in num. 4.* — Tertium fundamentum Durandi magnam postulat quæstionem, an ex tali merito de condigno redundet in Deo verum et proprium debitum justitiæ ad reddendum præmium. Cujus quæstionis decisio multa postulat, quæ paulatim tractanda sunt, et ideo nunc illam inferius tractandam remittimus. Breviterque dicimus posse intelligi condignitatem in merito respectu præmii, quidquid sit de obligatione justitiæ ex parte Dei ad reddendum illud. Quia condignitas in hoc solum spectatur, quod opus habeat proportionem et moralem valorem respectu talis præmii. Potestque per obligationem justitiæ quasi hypotheticè explicari, quia de se sufficiens est ad obligationem justitiæ ex parte reddentis præmium, si persona ejus talis obligationis capax sit. Hactenus ergo solum probavimus, dari in justis hoc modo meritum de condigno. Argumenta vero in dicto fundamento a Durando proposita procedunt contra obligationem ex parte Dei, eorumque vim postea expendemus.

CAPUT II.

UTRUM AD MERITUM APUD DEUM ALIQUIS ACTUS HOMINIS NECESSARIUS SIT?

1. *Recensentur conditiones meriti.* — Terminata quæstione, an sit in hominibus meritum de condigno apud Deum, tractanda sequitur, quid tale meritum sit; quæ non potest a nobis melius explicari quam conditiones ad tale meritum requisitas explicando. Hæ autem conditiones ex quinque capitibus requiri possunt; primo, ex parte actus capacis meriti; secundo, ex parte personæ merentis; tertio, ex parte ejus cui homo de condigno mereri potest; quarto, ex parte Dei, apud quem meretur; quinto, ex parte Christi, per quem meremur. De quibus suo ordine dicendum est, quia in ipsomet actu quo meremur multa concurrunt, scilicet, generalis ratio actus, et modus ejus, utique ut liber sit, et præterea species seu qualitas, scilicet, quod sit bonus, supernaturalis, internus vel externus, et si quid aliud est simile, ideo singula distinguenda et expendenda sunt.

2. *Fundamentum meriti est actus voluntatis creatæ.* — Primum ergo statuimus necessarium esse ad meritum, ut in aliquo actu voluntatis humanæ seu creatæ fundetur. Quia proprium meritum dicitur ordinem ad retributionem, propter obsequium alicui exhibitum, vel propter opus in utilitatem ejus factum, quod non fit sine actu. Neque obstat quod aliquando dicitur res aliqua mereri proprietatem aliquam, vel accidentalem perfectionem propter excellentiorem naturam seu essentiam, sicut rationalis natura ratione suæ perfectionis dici potest mereri a Deo majorem seu specialiorum providentiam; hoc (inquam) non obstat, quia ille est improprius seu metaphoricus modus loquendi, quo tantum significatur proportio quædam, seu naturalis connexio inter talem naturam et proprietatem, aut influentiam, quam ex natura sua postulat. Proprium autem meritum ultra id, quod naturale est, vel ab alio receptum, dicit aliquid exhibitum ab ipso merente, et ideo necessario requiritur actum hominis, in quo fundetur, ut sumitur ex D. Thoma, 1. 2, quæst. 21, art. 3, et aliis auctoribus infra citandis.

3. *Angesti opinio negans.* — Dubitari autem potest an hoc sit proprie et in rigore intelligendum de actu positivo, vel possit extendi ad aliquid aliud, quod proprie actus non sit. In quo puncto Angestus, in Moralibus, capite decimo, § antepenult., et in sequenti, tria distinguit in usu libero voluntatis humanæ, quæ sunt: actus positive elicitus ab illa; omissio, seu carentia liberi actus, quæ sine positivo actu potest esse indirecte voluntaria; et conatus ad agendum vel volendum, qui non habet effectum propter occurrens impedimentum. Hunc enim conatum ponit ut medium inter actum et privationem ejus, quia putat esse aliquid positivum, et in hoc a privatione seu omissione actus distingui, et nihilominus non pervenit ad actum, quia vel Deus non vult ad illum concurrere, vel aliud impedimentum conanti voluntati resistit. Hac igitur partitione supposita, dicit in omnibus illis posse inveniri meritum proprium et de condigno, ac proinde cum dicitur meritum esse actum, intelligendum esse late de proprio actu, vel de quolibet alio moraliter illi æquivalente, ut sunt moralis privatio vel conatus. Ad eum modum quo D. Thom. 1. 2, quæst. 71, art. 6, explicat definitionem peccati, qua dicitur esse *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei*, dicens sub illis terminis significan-

tibus actiones, subintelligendas esse oppositas omissiones; nam peccatum etiam esse potest non dictum vel factum, vel non concupitum secundum legem Dei.

4. *Ratio prædictæ opinionis.* — *Confirmatur primo.* — *Secundo.* — *Ratio secunda.* — Atque hinc sumitur primum fundamentum hujus sententiæ; nam meritum pœnæ potest esse sine actu; ergo et meritum præmii. Antecedens supponitur ex D. Thoma, supra art. 5, dicente posse inveniri peccatum sine aliquo actu, sicut in eadem 1. 2, quæst. 6, art. 3, dixerat posse inveniri voluntarium sine actu: omne autem peccatum est meritorium pœnæ. Consequentia vero probatur a paritate rationis, quia, sicut omittere bonum debitum malum est, ita abstinere a malo prohibito, bonum et laudabile est, et sicut primum potest fieri sine actu, ita et secundum; ergo, sicut primum est meritorium pœnæ, ita et secundum est meritorium præmii. Et confirmatur; nam Eccles. 31 beatificatur ille, *qui inventus est sine macula*; et de illo subditur: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit*; et additur: *Ideo stabilita sunt bona illius in Domino*; ergo illa abstinencia a malo digna est retributione apud Deum. Confirmatur secundo, quia duæ sunt partes universalis justitiæ, scilicet, facere bonum, et declinare a malo, teste divo Thoma 2. 2, quæst. 79, artic. 1, et Aristotele, 3 Ethic., cap. 5, et sumitur ex illo Psalm. 146: *Declina a malo, et fac bonum, et inhabitabit in sæculum sæculi*: sed meritum respondet justitiæ; ergo in utraque parte justitiæ præcise spectata potest meritum inveniri. Alterum fundamentum hujus sententiæ sumitur ex parte conatus, quia potest voluntas conari, et non facere, propter impedimentum; ergo si conatus sit ad bene operandum, solus sufficit ad meritum sine actu, cum per voluntatem non stet, quominus cum conatu simul etiam actum habeat.

5. *Vera sententia.* — Nihilominus vera sententia est, ad meritum præmii apud Deum requiri proprium et positivum actum voluntatis. Hæc est communis Theologorum doctrina, quam expresse tradit D. Thomas 1. 2, quæst. 91, art. 5, ad 1, et in 2. 2, quæst. 79, a. 1, ad 2, et a. 3 ad 4; Altisiodoren., lib. 2 Sum., tract. 29, cap. 2, quæst. 1, ad 2; Durandus in 2, d. 31, quæst. 2, ad 2, et ex professo tradit Major in 2, dist. 38, q. 1; Cumel, 1. 2, quæst. 114, art. 3, disp. 5; alii vero Theologi id potius supponunt quam disputant. Ut au-

tem hanc sententiam probemus, imprimis excludendum est illud medium inter actum, et privationem actus, quod Angestus fingit, et conatum appellat, quia in voluntate nullus conatus moralis et voluntarius intelligi potest sine aliquo actu positivo ab illa elicitio, licet bonus actus voluntatis possit esse, et appellari conatus ad alium, quem fecisset perficere non potest. Utrumque simul declaratur et probatur; nam vel actus ad quem voluntas conatur, est externus, id est, alterius potentiæ a voluntate; vel ab ipsa voluntate eliciendus. Si actus sit externus, et homo possit exequi illum, tunc si voluntas vere et efficaciter conetur, habebit effectum, et ita non erit sine actu, ad quem conatur. Si vero executio voluntatis non est in hominis potestate, quia vel DEUS non vult ad talem actum concurrere, vel potentia hominis executiva aliter est impedita, tunc conatus voluntatis non est nisi aliquod desiderium, seu affectus ad exequendum talem actum, si possit, et tunc conatus ille meritorius esse potest sine actu quem pro objecto habet, quia tunc voluntas pro facto reputatur; non tamen propterea tale meritum est sine actu absolute et simpliciter, quia conatus ille aliquis actus est ab ipsa voluntate elicitus; nam est desiderium et actualis affectus ejus.

6. *Urgetur argumentum factum.* — Idemque argumentum fiet si voluntas dicatur conari ad actum a se elicitum vel eliciendum. Nam si talis actus est in potestate voluntatis, et illum non elicit, profecto ad illum non efficaciter conatur, sed ad summum ineffaciter, et tunc conatus non est, nisi simplex aliquis affectus, seu velleitas (ut vocant) quasi reflexa super alium imperfecte amatum, seu desideratum. Unde si in tali conatu potest esse aliquod meritum, illud non est sine aliquo actu elicitio voluntatis, licet imperfecto et reflexo. Quod si voluntas ita conetur ad actum elicitum, ut exequatur illum, tunc conatus voluntatis non est aliquid distinctum ab effectione ipsiusmet actus, neque in illo conatu est aliud meritum quam sit in ipso actu. Ergo propter meritum conatus non oportet fingere meritum sine actu, cum conatus ipse non possit esse in voluntate sine aliquo actu ab ipsa elicitio. Quocirca, licet inter aliquem particularem actum et privationem ejus cogitari possit conatus quasi quid medium inter utrumque, nihilominus inter actum, et privationem actus generatim sumptam, non potest intelligi conatus medius, quia non potest